



Q. B. V

Operam eorum atque industriam, qui libros Graecorum veterum, ut in linguas notiores alias, ita in Latinam quoque, et superioribus saeculis conuertere, et aetate nostra conuertunt, ne utquam vituperandam ab vilo neque contemnendam, immo maximi etiam faciendam ab cunctis vehementerque laudandam, censemus. Nam profecto tantae opes, tantae copiae, tantae diuitiae, omnis sapientiae humanae in monumentis Graeciae antiquae reconditae seruantur, ut, qui eas depromtas inde et congestas possideat, is multo beatior opulentiorque esse videatur, quam omnium aliarum opum humanarum vel potentissimus dominus. Etenim omnia, quaecunque valent et pertinent ad acuenda ingenia, ad mentes augendas, ad continendos animos, ad mores regundos, ad respublicas earumque partes constituendas, ad vitam denique omnem bene commodeque agendam, in libris Graecorum elegantissime copiosissimeque exposita et explicata reperiuntur. Quae egregia bona etsi videri possint omnes bonarum litterarum studiosos inuitare et excitare debere, ut volumina Graeca diurna nocturnaue manu versent: tamen, quum plerique, ut Horatii saeculo poëtae Romani, auri auariores sint, quam laudis;